

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XCIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

credo, ipsum vel Zvinglianissimum vel quamcunque sectam aut religionem eriam vehementer approbare. Sed tamen Nestori familiaris est; ut inter Syros venales nequissimi sunt, qui plurimum græce sciunt: ita in hac factione *ἀρχαία τῶν ἑσέρων* regnat, & quo quis his virtutibus magis pollet, eò dignior est hoc sodalicio; quod videt & judicabit Dominus. Scripsisse ad te diligentius, nisi veritus essem, ne tua imitatione me hoc fecisse arbitrarere. Quæso autem, ut inducias cum Prisciano mecum constituas: nam pacem inter vos esse non miror. Sed de hoc joco. Tu, mi exoptatissime Philippe, tanto melius vale, quanto ego scripsi negligentius. Argentorato, 13. Martii, 72.

*Tuus ex affe*

J. Pappus.

D. Carolum Mügium vereor, ut amittamus hoc adhuc vesperi. Quantum tibi gaudium erit partis adversæ? quantus noster dolor? Sed vivet Dominus, qui vel è lapidibus suscitare potest semen Abrahæ.

Salutat te M. Haluerius, qui his scribendis intervenit.

XCIV.

S Perlegerunt fratres mei symmista, utrumque scriptum, à te ad nos missum, & probant utrumque. Sentiunt tamen mecum, non inconsultum fore, si controversia cum Illyrico hoc saltem tempore non divulgetur in publicum, iisdem ex rationibus, quas proxime significaveram. De disciplinæ forma speramus etiam nos, à Magistratu vestro vos responsum habituros non incommodum. Nobis alia ratio jam inde à reformationis tempore usurpata est, & retinetur hodie. Sed sunt, quæ desideremus, cum quantum ad Catechesin attinet, tum inquisitionem domesticam, quò vultus pecoris pastoribus plenius cognitus esse quiret. Opus certe sit sancta disciplina, qua cum juvenus, tum adulti Christi jugo strictius subjicerentur, ac æderentur fructus Christum profitentibus digni. Ad filios tuos scripsi, quibus literas tu transmittes. Cupio eos vicissim ad me frequentiores dare, quia præter unas, quas per comitem illis adjunctum dederant, nullas accepi. Commendo te gratiæ DEI, & me meumque ministerium precibus tuis, vir ornatissime, Domine & frater reverende & colende. Salutant te mei collega. Scripsi Basileæ, 18. Martii, Anno 1572.

*R, d. t. totus*

S. Sulcerus. D.  
XCV.